DE EDITIONE UTRIUSQUE LIBRI SATIRARUM HORATII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

CAROLUS BRANDES
ISLEBIENSIS.

HALIS SAXONUM
TYPIS DESCRIPSIT S. SCHLESINGER
MDCCCLXXXV.

Parentibus sacrum.

Postquam vetustiores Horatii editores, imprimis Tanaquillus Faber, Dacerius, Joh. Massonus singulorum poëmatum tempora constituere frustra studuerunt, primus Bentleius in praef. editionis Horat. (Cantabrig. a. 1711) rectam instituit rationem, cum tempora quibus singuli libri editi sunt, definivit, ac primum quidem Horatii opus statuit satirarum librum priorem, quem triennio scripserit poëta intra annos u. 715—17, postea autem eum composuisse alterum librum itidem triennio intra ann. u. 720—22. Attamen non defuerunt qui Bentleianas rationes vel improbarent vel denuo quaestionibus factis rectius tempora constituere studerent: in his imprimis Sanadonus, qui eandem secutus rationem quam ante Bentleium vivi docti, in praef. editionis Horat. p. III—VI (Paris. a. 1728) in singulorum poëmatum temporibus reperiendis versatus est ratione non habita librorum, in quos Horatii poëmata distributa sunt. Post hunc autem C. Kirchnerus demum accuratius de eadem re disseruit. Is enim in quaestionibus Horatianis Numburgi a. 1834 in programmate Portensi editis (cf. praef. edit. sat. alt. a. 1854 tom. I. p. 22) reiecta Bentleiana temporum descriptione p. 12 sq. affirmavit satirarum libros non singulatim ac diverso tempore, sed postquam secundus liber a. 726 ad finem perductus est, hoc ipso anno una editos esse. Sed postquam paulo ante Kirchnerum G. F. Grotefendus in commentatione de Horatii vita in Erschii et Gruberi encyclopaedia sect. II. tom. 10. (Lips. 1833) p. 462 Bentleianae rationi assensus est, ea quae statuit Kirchnerus ad Bentleianam rationem reiciendam, refutare sibi proposuit Carolus Franke, qui in Fastis Horatianis (Berol. a. 1839) p. 21 — 42 ostendit utrumque librum seorsum ac diverso tempore in publicum prodiisse,

priorem a. u. 719 vel insequenti (p. 21 — 41), posteriorem a u. 724 (p. 41 sq.). Paucis autem annis post de eadem re quaesivit Zumptius in comment. de vita Horatii et de temporibus poëmatum imprimis satirarum (praemissa a Wuestemanno editioni sat. Heindorf. alt. a. 1843). Kirchneri enim rationi assensus Zumptius p. 26 — 28 exposuit duos satirarum libros in unum corpus redactos exeunte anno u. 724 editos esse. Cuius in opinionem vehementer invectus est W. Teuffelius in Mus. Rhen. a. 1846 tom. IV p. 231 — 234, postquam in eodem volomine p. 115 — 119, 210 sq., 221 — 223 Frankii sententiam de separata editione probavit, sed alterius libri editionem usque ad annum u. 730 ab Horatio prolatam esse opinatus est (p. 221). Nuper autem Martinus Hertz in Analect. ad carm. Horat. historiam I. (ind. lect. Vratislav.) a. 1876 p. 15 Kirchneri et Zumptii rationem secutus duos satirarum libros Horatium coniunctim anno fere u. 729 in vulgus emisisse statuit. Quae cum ita sint, timendum non est, ne rem inutilem suscipere videar, cum denuo rem tractandam mihi propono.

Jam ut quaeramus, utrum duo libri uno eodemque tempore an separatim ac diverso tempore in hominum manus pervenerint, primum videndum est, num omnes satirae primi libri priore tempore scriptae sint, quam quae in altero libro leguntur. Sed cum saepissime certae desint rationes, quibus innisi satirarum tempora definire queamus, viri docti in temporibus definiendis et sententiam suam et arbitrium secuti alius aliud compositionis tempus constituerunt.

Primus Frankius l. l. p. 82 — 122 de temporibus singularum satirarum accuratiorem et diligentiorem quaestionem instituit. Cuius rationes maxima ex parte refutare sibi proposuit Teuffelius in Mus. Rhen. l. l. p. 93 — 119 et p. 208 — 223 (cf. de temboribus sat. lib. II comment. eius sat. lib. II ad Kirchner. edit. sat. alt. tom. II, b). Idemque in eodem volumine p. 224 — 241 Zumptii rationes reiecit, qui l. l. p. 3 — 42 imprimis de satirarum temporibus, ut supra diximus, uberius disputavit, sed singularum satirarum tempora non modo a Teuffelii, sed etiam a Frankii rationibus diversissima constituit. Sed Zumptius parum subtiliter de hac re disseruit, ita

ut quae profert nihil fere valeant ad difficultates huius quaestionis expediendas. Nam non modo ceterorum rationes neglexit, sed ne argumentis quidem sententias suas ab iis maxima ex parte diversissimas confirmavit. Quare mirum est, quod Wuestemannus in praef. p. XVI hunc librum Zumptii maxime subtilem et perspicuum praedicat. Tum Kirchnerus, postquam in quaestionibus Horat. a. 1843 supra allatis de temporibus nonnullarum satirarum disseruit, etiam in praef. edit. sat. alt. a. 1854 tom. I. p. 1—27 (cf. comment. eius ad librum I) hanc rem tractavit.

Facilius autem satirarum tempora definire queamus, si demonstrari possit satiras eodem ordine ab Horatio esse compositas quo nunc leguntur. Quam rem Frankius p. 82 hoc modo ostendere sese posse existimat: cum Horatium tam pauca poëmata vix temere et sine certa ratione edidisse credi nequeat, probabile fieri aut argumentum eum aut compositionis tempus respexisse; atqui argumenti rationem habitam esse neminem docuisse nec verisimile esse fore ut quisquam doceat; ergo praeter primam omnes satiras eodem ordine scriptas esse quo nunc legantur. Sed haec argumentatio valde levis atque infirma est. Nam satiras certa ratione digestas esse demonstrari nequit, nisi quo tempore quodque carmen compositum sit, compertum habeamus.

Primum igitur de prioris libri satirarum temporibus dicam. Sed priusquam accedamus ad singulas satiras, videamus quo ex tempore Horatius satiras componere inceperit. Quod facillime cognoscitur definito tempore, ante quod prioris libri satirae aut omnes aut nonnullae scriptae esse non sunt putandae. Hoc tempus optime constituas, si quaesiveris, quando Horatius in Maecenatis amicitiam receptus sit. Quod apparet e sat. II, 6, 40 sqq.:

‚Septimus octavo proprior iam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero . . . .‘

Septimus igitur annus eo tempore quo haec scripsit poëta, nondum est finitus, sed ad finem vergens, proprior autem iam initio anni insequentis i. e. octavi. Itaque probanda est

Kirchneri ratio, qui (quaest. p. 50) explicat ‚septem anni prope elapsi', quod etiam Frankio p. 121 placet (‚septem anni prope peracti'). Horatius igitur septem fere annis priusquam sat. II, 6 scripsit, cum Maecenate familiaritate coniunctus est.

Sequitur ut quaeramus quando sat. II, 6 composita sit. Certae autem dantur rationes duabus his interrogationibus, quae in ipsa satira leguntur: v. 53

‚Num quid de Dacis audisti? . . . . .'

et v. 55 sq.

‚. . . . quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?'

E Dacorum mentione v. 53 efficitur, ut satira scripta sit post pugnam Actiacam, quam factam esse constat postridie Cal. Sept. anni u. 723. Daci enim ab Octaviano spreti Antonium adiuverunt (Dio Cass. LI, 22. Plut. Ant. p. 945. Hor. od. III, 6, 13 sq. Verg. Georg. II, 4,94). Pugna igitur Actiaca Antonio ab Octaviano devicto tantos illi ciebant motus, ut M. Crassus insequenti anno (724) adversus eos cum exercitu mitteretur (Dio Cass. LI, 23). Quo factum est ut tum cum Horatius hanc satiram scripsit, curiosi homines quaerere possent ex Horatio, num quid de Dacis audivisset.

Ex altera autem interrogatione sequitur ut brevi post pugnam Actiacam exeunte anno u. 723 satira composita sit. Octavianus enim non statim post pugnam Actiacam, sed ineunte demum anno u. 724 militibus veteranis promissa praedia assignavit (Dio Cass. LI, 3 et 4). Itaque milites, cum ab eo nihil accepissent, gravissimam seditionem moverunt. Praedia autem promissa nondum erant assignata tum cum Horatius hanc satiram scripsit, ita ut frequens esset sermo inter cives, utrum praedia Sicula an Itala darentur. Neque recte dicit Bentleius (praef. fin.), cui etiam Heindorfius assentitur, hanc interrogationem non ad Actiacam pugnam referendam esse, sed agi de agrorum distributione, quae post Siciliensem victoriam de Pompeio reportatam et Lepidi deditionem in Campania alibique facta sit (Dio Cass. XLIX, 14). Itaque sat. II, 6 exeunte a. u. 723 in Sabino composita est, cum milites seditionem civerunt, quod tempus placuit Kirchnero quaest. p. 19

(cf. praef. comment. p .17), Frankio p. 119 sq., Teuffelio p. 215. Denique convenit illi tempori, quod ex v. 38 apparet Maecenatem tum urbanis negotiis praefuisse ab Octaviano relictum (cf. Frank. p. 120 sq.).

Zumptius autem p. 39 sq. sat. II, 6 a. u. 720 compositam esse dicit his de causis: primum bellum illud in Dacos gestum, quo M. Crassus a. u. 724 vicerit, hoc loco non significari, cum in alias regiones, in Thraciam translatum sit; deinde post pugnam Actiacam non fuisse causam, cur Romani bellum illud timerent; tum interrogatione v. 53 sq. non agrorum distributionem post pugnam Actiacam sed post bellum Siciliense factam significari, quod, ut diximus, Bentleio quoque placuit. Sed fore ut bellum illud in Thraciam transferretur, tum sciri non potuit. Neque altera causa sufficit, nam Daci etiam post pugnam Actiacam timebantur, ut apparet e carm. III, 16, 14 a. u. 726 composito (cf. Frank. p. 193). De divisione autem agrorum supra disputatum est.

Definito autem tempore satirae II, 6 facile cognoscitur initium amicitiae Horatii cum Maecenate. Deductis enim septem fere annis de anno exeunte u. 723, incidas necesse est in exitum anni u. 716 vel initium insequentis. Praeterea nono demum mense postquam cum Maecenate convenit, in amicitiam eius sese receptum esse dicit poëta sat. I, 6, 61 sq.:

„. . . . . abeo, et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero . . . .‘

Primum igitur congressus est Horatius cum Maecenate ineunte a. u. 716.

Zumptius autem, qui, ut supra diximus, sat. II, 6 aestate a. u. 720 scriptam esse censeat, p. 11 Maecenatem Horatio ab ineunte anno u. 714 familiariter usum esse non recte dicit.

Quoniam reperimus, quo tempore familiaritas inceperit, videamus quibus in satiris prioris libri haec familiaritas commemoretur, unde appareat satiras illas post initium anni u. 717 compositas esse.

Ac prima quidem satira scripta est, postquam Horatius in Maecenatis amicitiam pervenit, nam poëta in ipso initio satirae Maecenatem appellat his verbis;

,Qui fit, Maecenas, ut nemo etc.

Deinde Horatius appellat Maecenatem sat. I, 3, 63 sq.:

,Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas . . . . .'

Poëta hoc loco dicit se cupere Maecenati se offerre simplicem, ut familiaritas sua ab omni suspicione assentationis libera sit. Tum sat. 5 post initium intimae familiaritatis scripta est. Describit enim poëta hac satira iter Brundisinum, in quo Maecenati cum aliis eius amicis comes fuit. Neque minus utebatur Maecenatis amicitia tum cum sat. 6 composita est. Nam quod appellatur hac satira Maecenas, apparet poëtam inter familiarissimos eius receptum esse, quare ille invidia hominum carpitur (v. 46 sq.):

,Quem rodunt omnes libertino patre natum
Nunc, quia sum tibi, Maecenas convictor . . .'

Praeterea dicit v. 61 sq. se nono mense postquam in Maecenatis amicitiam receptus sit, ab eo revocatum in numero amicorum esse, unde patet, quam artis amicitiae vinculis cum Maecenate coniunctum sese sentiat. Nona quoque satira scripta est confirmata iam Maecenatis Horatiique amicitia; quippe homo importunus iocosa ratione describitur, quem sumpsit e numero eorum, qui poëtam rogabant, ut ipsos Maecenati commendaret. Denique sat. 10 composita est intima familiaritate inter utrumque facta. Horatius enim reprehensus ab iniquis hominibus, quod sat. 4 Lucilium vituperaverat, dicit se non moveri iudicio hominum malevolorum, qui recto iudicio careant, sed sibi abunde sufficere, quod poëmata sua a viris prudentia et artium litterarumque scientia praestantissimis probentur. Quo in numero nominatur etiam Maecenas v. 81 sq.:

,Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque
Valgius et probet haec Octavius optimus . . .'

Itaque sat. 1. 3. 5. 6. 9. 10 compositae sunt, postquam poëta in familiaritatem Maecenatis adscitus est, i. e. proximis post initium anni u. 717 annis.

Accuratiorem autem quaestionem postulat sat. 1. Cum in ipsa satira nihil insit, unde pateat, cui anno ea attribuenda sit, videamus, num tempus reperiri possit, ante quod sat. 1 composita esse non sit putenda. Quod tempus Frankius repe-

risse sese putat. Secutus enim Kirchneri rationem (cf. Kirchner. prim. edit. sat. tom. I a. 1829 p. 200) dicit p. 22 versus huius satirae 114 sqq.:

> ,Ut cum carceribus missos rapit ungula currus
> Instat equis auriga suos vincentibus, illum
> Praeteritum temnens extremos inter euntem.'

apertam habere imitationem versuum, qui leguntur in fine Vergil. Georg. I, 512 sqq.:

> ,Ut cum carceribus sese effundere, quadrigae
> Addunt in spatia et frustra retinacula tendens
> Fertur equis auriga, neque audit currus habenas',

cum verisimile non sit Vergilium Horatii versus expressisse. Vergilius enim comparationem aptissimam sumpsit a curru e carceribus emisso tantoque cum impetu ruente, ut ab auriga retineri nequeat; quam imaginem in pravam hominum cupiditatem maiora semper appetentium transtulisse Horatium Frankius dicit, sed ita immutatam ut aurigam in ludis circensibus etiam praevectis equis calcar addere diceret. Sed cum Georg. lib. I anno demum u. 719 editus sit, apparere sat. 1 scriptam esse a. u. 719 haud ita multo post editionem libri illius Vergiliani. Quod probaverunt et Zumptius p. 35 (refert autem sat. ad a. u. 718, quod Georgica praecedente iam anno scripta existimat) et Kirchnerus praef. comment. p. 11. Non recte, opinor; nam indicium imitationis in his satirae versibus minime inesse videtur, neque intercedit, ut Frankius contendit, permira similitudo inter utrumque locum (cf. Teuffel. p. 99. Duentzer. in Annal. Philol. XCIX. a. 1869 p. 313 initio commentationis, cui inscribitur ,Vergilius und Horatius'). Vergilius enim comparat Martis impii saevitiam, cui nemo resistere possit, cum impetu quadrigarum e carceribus emissarum et ita ruentium, ut auriga equos retinere non possit; Horatius autem avarum, qui cupiditate lucri et invidia adductus eos qui ei locupletiores videntur, superare studet, illustrat exemplo aurigae, qui ut victoriam paret, non desistit a stimulandis equis, ut equos qui praetercurrerunt, cursu superent. Uterque igitur locus exornatus est imagine a circo desumpta; sed uterque poëta ea ad diversissimas res adhibita alio modo usus est. Deinde cum utraque sententia imagine a circo desumpta egregie

exornari posset, fieri non potuit quin et Horatius et Vergilius similibus vocibus uterentur, ita ut mirum non sit, quod cum aliquot verba tum initium exempli ‚ut cum carceribus' apud Vergilium eadem sunt atque apud Horatium.

Ceterorum suspiciones de anno quo scripta videatur sat. 1, vel incertae sunt vel omni prababilitate carent, cum certis destituamur temporis indiciis. Quare accurate tempus vix potest definiri. Sed infra pluribus de hac satira dicetur.

Certum autem constitui potest tempus quintae satirae, quae est de itinere Brundisino. Sed pluribus in satirae tempus inquirere opus non est; nam postquam Kirchnerus quaest. p. 54 sq. et Frankius p. 97 sq accuratius de hac re disseruerunt, dubium esse nequit, quin sat. 5 a. u. 717 composita sit.

Longiorem autem et artiorem familiaritatem poëtae cum Maecenate quam sat. 5 produnt sat. 6 et 9. Nam e sat. 6 (cf. quae supra de hac sat.) patet Horatium in tanta Maecenatis gratia fuisse, ut non modo comes eius in itinere esset, sed etiam convictor (v. 47) et familiarissimus (v. 50 sq.), quare obtrectatorum invidiam sibi contraxit (v. 46). E sat. autem 9 intelligitur ei non modo obtrectatum esse, sed etiam amicitiam tam firmam fuisse, ut homines importuni etiam peterent ab eo, ut ipsos Maecenati commendaret (v. 43 sqq.). Itaque sat. 9 post sat. 6 earumque utramque post sat. 5 compositam esse omnes fere viri docti recte inter se consentiunt, ita ut sat. 6 et 9 post initium anni u. 717 scriptae sint, ad quod tempus sat 5 referenda est. Sed certa desunt indicia ad utriusque satirae tempus accurate definiendum.

Sextae autem satirae tempus Frankius hoc modo constituere conatus est: compositionem satirae antecessisse annum u. 718, quod illo anno et insequentibus Maecenas absente Caesare principatum tenuerit, poëta autem ab initio satirae, ubi Maecenatis nobilitatem praedicet, honoris illius mentionem non fecerit; deinde quod v. 104 sq. iter Brundisinum respexerit, sequi ut sat. 6 proxime post praecedentem i. e. sat. 5 exeunte anno u. 717 composita sit. Sed nulla causa fuit, cur poëta in hac satira honorem illum commemoraret, cum ostendere sibi proposuisset Maecenatem, quamquam nobilissimo loco natus

esset, tamen non generis nobilitatem spectare, sed homines e dignitate et virtutibus aestimare solere, ita ut ipse humilibus parentibus ortus a magno illo viro diligatur et magni habeatur. Neque poëta v. 104 sq. iter Brundisinum respicit, quod et e sententiarum conexu et e voce ‚si libet' tam plane apparet, ut pluribus hanc rem tractare opus non sit.

Neque de decimae satirae tempore quidquam certum est nisi ipsam quoque post a. u. 717 scriptam esse, quod v. 81 Maecenas inter eos inducitur, quos poëmata sua probare poëta cupit (cf. quae supra diximus). Frankius autem p. 106 censet, quod Horatius v. 21 ‚duram Petillii causam' tangat, sat. 10 ante a. u. 720 compositam esse, quo tempore Horatius Caesari deditus esse coeperit. Sed de Petillio infra dicam. Post sat. autem 4 sat. 10 scriptam esse constat, quod poëta ea confirmat iudicium sat. 4 de Lucilio factum. Invehitur enim iterum in adversarios, quippe qui sat. 4 iniuste poëtam de Lucilio iudicasse dixissent et in satiras eius denuo criminationes coniecissent. Atqui sat. 2 antecedit sat. 4, quod e. v. 91 coll. cum v. 27 secundae satirae satis apparet. Nam v. 91 sq.

‚. . . . . ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum',

versum 27 secundae satirae repetit eo consilio, ut a criminationibus se defendat, quae in sat. 2 coniectae erant. Ergo sat. 10 non modo post sat. 4, sed etiam post sat. 2 scripta est.

Ex iis autem satiris, quas post Horatii familiaritatem cum Maecenate initam compositas esse cognovimus, sat. 3 omnium prima scripta videtur, quippe cuius argumentum minime referre queamus ad Maecenatem, nisi quod poëta eum inopinato appellat v. 63 sq.:

‚Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas . . . . .',

quibus versibus (cf. quae supra diximus) timiditatem quandam et incertum habitum cum longioris usus atque familiaritatis confidentia parum convenientem prodi recte exposuit Kirchnerus quaest. p. 53 (cf. praef. comment. p. 7). Quapropter sat. 3 scripta videtur haud ita multo postquam poëta in

amicitiam Maecenatis receptus est, ante iter Brundisinum exeunte a. 716 vel ineunte a. 717, quod Kirchnero quaest. p. 52 sq., Teuffelio p. 103 placuit. Frankius autem p. 89 sq. sat. 3 non recte arbitratur scriptam haud ita multo post hiemem anni u. 715 ad a. u. 716 vergentem, quo tempore Horatium primum cum Maecenate congressum esse constat. Nam v. 63 sq. scribere non potuit poëta, priusquam in intimorum familiarium numerum a Maecenate adscitus fuit. Zumptius autem ipse quoque sat. 3 ad a. u. 717 referendam recte existimat.

Quoniam quaesivimus de temporibus earum satirarum, in quibus mentio fit familiaritatis cum Maecenate initae, sequitur ut videamus, quando ceterae satirae huius libri compositae sint.

Ac primum quidem de tempore secundae satirae. Haec capit, ut sat. 3, initium a Tigellio quodam cantore. Cum e v. 3 secundae satirae intellegatur Tigellium illum mortuum esse brevi antequam Horatius sat. 2 scripsit, in sat. autem 3 de eo ut iam dudum defuncto pluribus agatur, non dubium est quin sat. 2 ante sat. 3 composita sit (in exordiis utriusque satirae de eodem Tigellio Sardo agi eumque diversum esse ab Hermogene Tigellio, cuius mentio fit in sat. 4 et 10 huius libri, accurate exposuit Kirchnerus quaest. p. 42—49). Itaque cum sat. 3 ad a. u. 717 referendam esse demonstraverimus, sat. 2 ante a. u. 717 scripta est. Sed quot annis ante hunc annum ea composita sit, pro certo affirmari nequit. Neque enim probabilis est opinio eorum, qui sat. 2 a. u. 714 vel 715 attribuendam existimant. Probant enim scholiastarum opinionem, qui v. 25

‚Maltinus tunicis demissis ambulat . . .‘

sub Maltini nomine Maecenatem latere putant. Itaque sibi persuaserunt Horatium in Maecenatis consuetudinem iam receptum eum hoc modo tangere non potuisse, quare commoti sat. 2 ante primum congressum Horatii et Maecenatis scriptam esse statuunt. Sed cum in satiris nihil insit, quo personae hoc modo sub alio nomine vellicentur, opinio illa reicienda videtur. Praeterea scholiis autoritatem tribuendam non esse infra exponam. Sed spatium haud ita magnum inter sat. 2 et 3 intercedere recte exposuit Frankius.

Sat. autem 2 non modo sat. 3, sed etiam, ut supra diximus, sat. 4 tempore praecedit. Neque vero de tempore quo sat. 4 composita sit, viri docti inter se consentiunt. Frankius p. 92 sq. tempus hoc modo constituit: v. 94 acerba cum irrisione Horatium protulisse Petillium Capitolinum, quem Octaviani amicitia et favore usum esse scholiastae testantur; atqui in Octaviani partes poëtam propensum fieri coepisse per annos u. 718 — 20; ergo sat. 4 ante id tempus scriptam esse. Non posse autem eam compositam esse post a. u. 716, quo anno recitationes publicae ab Asinio Pollione institutae sint, quas tum cum satira scripta sit, nondum conditas fuisse intelligatur e vv. 74 sqq.:

„. . . . . in medio qui
Scripta foro recitent sunt multi quique lavantes
Suave locus voci resonat conclusus. Jnanes
Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu
Tempore num faciant alieno . . . . .‘

Sed de Petillio illo Capitolino nihil certum est nisi quod Horatius tradit: hoc loco eum Caesaris amicum fuisse non legimus. Scholiastis autem fides abroganda est. Ji enim, ut e multis locis in explicandis satiris de rebus vel personis coniecturas faciunt, ita etiam hoc loco sine antiquis auctoribus statuisse putandi sunt non modo Petillium amicitia cum Octaviano coniunctum fuisse, sed etiam cognomen Capitolini ad eum delatum esse propterea quod de corona Jovis Capitolini sublata accusatus fuerit. Sed cognomen genti eius fuisse nummi ostendunt. Neque necesse fuit poëtam commemorare recitationes ab Asinio Pollione institutas, sed iam conditae esse potuerunt tum cum satira scripta est. Horatius enim dicit se non audere scripta sua in vulgus edere, neque recitare ea cuiquam nisi amicis idque coactum (v. 71 sq.), aliorum autem vocibus resonare forum vel balnea.

Neque e v. 21 sq.

„. . . . . Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, ...‘

de satirae tempore certi quidquam colligi potest. Scholiastae enim tradunt carmina et imaginem Fannii in bibliothecas delata esse; quare multi interpretes quaerunt utrum publicae

an privatae hae bibliothecae fuerint, utrum ab Asinio Pollione a. u. 716 conditae an ab Augusto (bibliotheca Octaviana condita a. u. 721; cf. Kirchner praef. comment. pag. 14). Sed haec quae loco ipso male intellecto a scholiastis tradita sunt, eo magis omni probabilitate carent, quod schol. Acro de delatione post mortem eius facta dicit; sed e sat. I, 10, 79 sq. patet eum vixisse tum cum satira, de qua dicimus, scripta est, nam priori tempori quam sat. 10 eam attribuendam esse supra exposuimus. Itaque Frankius p. 94 bibliothecae nullam fieri mentionem recte dicit; sed Horatius salse praedicat Fannium, qui non rogatus, sed ultro scripta sua et imaginem primo cuique domum deferat.

Quae cum ita sint, etiam de sat. 4 nihil amplius potest adfirmari nisi quod supra cognovimus, eam post sat. 2 et ante sat. 10 compositam esse.

Jam quaeramus, quos ad annos sat. 7 et 8 referendae sint. Sat. 7 faceto et lepido modo describitur lis, quam Persius quidam P. Rupilio Regi intenderat, cum poëta ipse M. Bruto summam imperii tenente in Macedonia munere tribuni militaris fungebatur. Quam litem in a. u. 711 vel 712 incidere constat, sed sententiae virorum doctorum de tempore satirae diversae sunt. Omnes enim fere praeter Frankium dicunt eam satirarum primam scriptam esse brevi postquam Horatius e Macedonia redierit, quod ridicula illa res postea multo minus legentes delectasset, quapropter sat. 7 anno u. 713 vel 714 attribuendam esse. Alii autem, in his Frankius p. 101 sq., aliquot annos inter pugnam ad Philippos factam et satirae compositionem intercessisse statuunt, neque eam scriptam esse brevi postquam poëta ex Macedonia in Italiam reversus sit; nam tum Bruti cladem Horatium ita luxisse, ut eum oblique tangere non auderet. Sed tangi eum cum ex tota satira tum e vv. 33 sqq. apparere:

‚Persius exclamat: „Per magnos, Brute, deos, te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est“.‘.

Frankius igitur, cum sibi persuasisset satiras eodem ordine scriptas esse quo nunc leguntur, in sat. 7 tempore constituendo

ad a. u. 718 descendit. Sed Horatio Bruti memoria semper sacra fuit, etiam cum in partes Octaviani propensus esse inceperat. Et vero neque in tota satira neque in loco illo quicquam contumeliosi inest, quo salse tangatur Rupilius Rex, ut bene schol. Porph.: ‚iocans in nomen Regis Rupilii ait: O Brute, sequere generis tui gloriam et hunc Rupilium Regem extingue!‘ Neque investigari potest, quam multo ante vel post rem illam ridiculam haec lepida narratio scripta sit (cf. Heindorf. ad hanc sat.); nam tales narratiunculae omni tempore narrari possunt, ut vel lectores vel auditores delectentur. Itaque quo anno sat. 7 composita sit, incertum est.

Jam de sat. 8. Poëta Priapum inducit narrantem, quas artes Canidiam veneficam (de qua epod. 3, 8 et epod. 5) cum Sagana socia exercentem viderit in sepulcreto in Esquiliis sito, ubi nunc ‚aggere in aprico spatiari‘ (v. 15) liceat, olim fures et ferae vagati sint. Maecenatem autem in Esquiliis ab a. u. 723 habitasse constat (cf. epod. 9, 1 sq., sat. II, 6, 32 sq.) E satira autem ipsa viri docti apparere putant neque novos hortos plane confectos neque domum illam magnam Maecenatis (cf. carm. III, 29, 10. epod. 9, 3) conditam fuisse, cum ea scripta est. Frankius igitur p. 103 sq. satirae tempus hoc modo constituendum putat: cum e sat. II, 3, 308 sq. pateat aedificium illud nondum plane exstructum fuisse a. u. 721, quem ad annum sat. II, 3 referenda sit, hortorum structuram eo magis ante annum illum u. 723 inceptam esse; atqui et aetatem ordinemque respicienda esse et constare confirmata iam Maecenatis et poëtae familiaritate post a. u. 717 eam scriptam esse, cum non modo honorificam novorum hortorum mentionem faciat poëta (v. 14. 15), sed accuratam etiam locorum prodat notitiam (v. 12. 13); ergo sat. 8 a. u. 718 vel initio insequentis attribuendam esse. Teuffelius autem satiram retulit ad a. u. 714, Zumptius ad a. u. 715, neque tamen argumenta addidit. Sed res prorsus incerta est, cum investigari nequeat, quando horti facti siut. Maxime autem dubium est, num novi illi horti (v. 7) Maecenatis sint, quamquam a schol. Cruq. ad ‚hortis‘ (v. 7) adiungitur ‚nuper a Maecenate institutis‘; nam schol. ut multis aliis locis ita hic sine antiquis

auctoribus coniecisse verisimile est (cf. quae supra de schol. auctoritate dicta sunt). Itaque satirae 8 tempus definiri non potest.

Sequitur ut videamus quos ad annos posterioris libri satiras referamus.

Primam igitur satiram postremam omnium satirarum compositam et quasi prologum libro additam esse Frankius contendit (cf. Kirchner. quaest. p. 17, praef. comment. p. 25). V. enim 10 sq. Trebatius hortatur poëtam ut Augusti res praeclarissimas canat, cum dicit:

,. . . . . . aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus . . . . .',

quibus verbis respondet Horatius vv. 12 sqq.:

,. . . . . . . Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos
Aut labentis equo describit vulnera Parthi.'

Unde quod ,Galli fracta pereuntes cuspide' et ,labentis equo vulnera Parthi' commemorantur, Frankius p. 110 sq apparere arbitratur sat. 1 a. u. 724 scribi potuisse. Tum ostendere conatur satiram neque ante neque post a. u. 724, sed hoc ipso compositam esse. Ac priori quidem tempori quam a. u. 724 attribuendam eam non esse p. 112 de duabus causis contendit: primum ante a. u. 724 nondum tetigisse Octavianum res Parthicas, quare poëtam v. 15 ,vulnera Parthi labentis equo' afferre non potuisse, cum satiram scriberet. A. enim u. 724, ut Dio Cass. LI, 18 tradat, Octavianum ab Aegypto per Syriam et Asiam minorem profectum certamina de imperio Parthorum facta composuisse. Deinde Octavianum invicti nomine v. 11 ornari non potuisse, priusquam Antonius et Cleopatra devicti et exstincti essent (cf. Kirchner. quaest. p. 17, praef. comment. p. 20. Weber. Annal. Jahn. vol. suppl. IX a. 1843 p. 287). Non recte, opinor; nam locus ille qui apud Dionem Cass. legitur, a Frankio hic apte non affertur, cum Horatius hoc loco res gestas significari velit. Neque altera causa sufficit ad demonstrandum sat. 1 ante a. u. 724 scriptam esse. Invictus enim Octavianus compluribus iam annis ante appellari potuit,

post praeclarissimam victoriam navalem ab Agrippa de S. Pompeio reportatam (cf. honores Octaviano tributos teste Dio. Cass. XLIX, 14). Deinde in Octavianum convenit cognomen invicti, donec nondum victus erat (cf. Teuffel. p. 208).

Recte autem dicit Frankius p. 112 non licere satirae compositionem post a. u. 724 proferre. Nam anno insequenti tres tam graves res evenerunt, quas praeterire non licebat, cum et memoratu maxime dignae et Octaviano summae laudi et honori essent: templum Jani clausum, triumphus quem Octavianus tres per dies egit, munus morum magistri quod subiit. Denique Horatius, si sat. 1 a. u. 724 scripsisset, rem illam praeclarissime ab Octaviano gestam silentio non praeteriisset: victoriam de Antonio et Cleopatra reportatam. Weberus igitur Kirchnerum secutus l. l. p. 287 sat. 1 non recte ad a. u. 726 profert.

Itaque causis quas affert Frankius, non convincimur sat. 1 ad a. u. 724 referendam esse, sed potius ad prius tempus adducimur.

Neque vero recte statuunt Frankius et Kirchnerus poëtam sat. 1 ultimam omnium posterioris libri satirarum scriptam ceteris quasi prologum addidisse; sed censeo eam primam prologi loco compositam esse. Horatius enim fingit satira se consulentem C. Trebatium Testam, iuris peritissimum, qui ex Cic. Topicis et epist. ad fam. lib. VII notus est, quid faciat, cum sint qui malignum esse ipsum dicant et nimis acrem, quod satiris editis hominum vitia castigentur. Trebatio autem hortenti ut versus facere desinat, poëta respondet natura se ita duci ad satiras componendas, ut impetrare a se non possit ut desistat a satiris scribendis. Itaque et ex hoc et e multis aliis locis huius satirae apparet poëtae in animo esse novum satirarum librum scribere (cf. quae pluribus infra exposui).

Sed in ipsa satira nihil est, quo tempus accuratius definiri possit. Itaque alio modo tempus constituemus. Quam ad rem videamus, quae ex ceteris satiris prima scripta sit. Satirarum autem, quarum tempus constitui potest, si sat. 1 exceperis, sat. 3 omnium primam cognoscas. Cuius tempus satis apparet ex eo quod v. 180 sq. coll. 185 sq. aedilitas Agrippae

commemoratur, qua ille a. u. 721 functus est. Hic annus nondum peractus erat, cum Horatius satiram composuit, ut patet e verbo in praesenti tempore posito ,fert' (v. 185). Atque quod Damasippus Stoicus Horatium appellat v. 5:

,Saturnalibus huc fugisti . . . .'

apparet sat. 3 scriptam esse Saturnalibus i. e. mense Decembri a. u. 721 in villa Sabina (v. 5 coll. v. 10), quam paulo ante poëta a Maecenate dono acceperat.

Itaque dubium esse nequit quin sat. 1 ante exitum a. u. 721 scripta sit.

Praeter sat. autem 1 et 6, quam exeunte a. u. 723 compositam esse supra exposuimus, de nullius satirae tempore certi quidquam reperiri potest nisi de sat. 5. Agitur de captatoribus. Facit autem poëta Ulixem cum Tiresia apud inferos colloquentem, ita ut vv. 62 sqq. introducatur Tiresias Ulixi vaticinans, quid futuris temporibus captatoribus eventurum sit:

,Tempore, quo iuvenis Parthis horrendus ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum'.

Unde apparet, quando sat. 5 composita sit. Vaticinatio autem incerto quodam modo quasi oraculi ratione facta est. Frankio p. 114 satira a. u. 722 scripta videtur. Existimat enim ultra a. u. 720 progrediendum esse, cum ante id tempus Horatius Octaviano nondum faverit, ut blandam et honorificam eius mentionem faceret; probabile autem esse satiram ante pugnam Actiacam compositam esse, quod, si post eam scripta esset, Horatius haud dubie magnificentius locutus esset et disertiorem rerum gestarum laudem intexuisset. Sed ea opinio non est probanda, nam quod poëta appellat Octavianum ,tellure marique magnum', referendum videtur ad victoriam Actiacam, qua de causa satiram ad tempus annum u. 723 antecedens referre non licet (cf. Weber. p. 288 sq. ,qui cum Teuffelio sat. 5 a. u. 724 attribuit). Quo tempore Octavianus viginti duos annos natus iuvenis recte appellari potuit, praesertim cum poëta senem Tiresiam haec dicentem faciat, horrendus autem Parthis ut quolibet anno ita hoc tempore. Quapropter sat. 5

non ante finem anni u. 723 composita est, ita ut eodem fere tempore scripta videatur quo sat. 6.

Jam de ceteris satiris. Sed cum in iis ipsis certa indicia non inveniantur, ea quae de his satiris proferuntur, omni fere probabilitate carent. Nam viri docti de temporibus e genere scribendi, quo poëta in satiris usus est, concludentes nimis suum quisque iudicium atque arbitrium sequuntur, ita ut sententiae eorum mirum quantum inter se discrepent. Neque Frankius eam legem imprimis secutus, quod satiras eodem ordine quo nunc leguntur, scriptas esse putat, tempora recte constituit. Etiam sat. 2 (‚Ofellus') cui anno attribuenda sit, incertum est. Kirchnerus autem (quaest. p. 60, praef. comment. p. 9) eam refert ad a. u. 717 post iter Brundisinum, qua occasione cum Ofello, populari suo, in agro prope Venusiam poëta congressus sit, quod pertinere existimat ad demonstrandam suam sententiam, quod statuit Horatium satiras promiscue in duos libros distributas una edidisse. Sed res prorsus incerta est. Nam ex eo quod inducitur Ofellus loquens, non sequitur ut Horatius cum eo de his rebus egerit. Sed ut magna arte poëta composuit cum prioris tum posterioris libri satiras, ita etiam hac sat. artificio usus inducit Ofellum frugalitate ac morum simplicitate praecipuum (v. 3) aetatis suae luxuriam castigantem.

Posterioris igitur libri satirarum nullius tempus definiri potest nisi sat. 1. 3. 5. 6.

Quae cum ita sint, argumenta quibus usi Kirchnerus et Zumptius aliique duos libros singulis satiris in eos promiscue distributis coniunctim editos esse, nullo indicio confirmantur. Sunt autem satis multae causae, e quibus appareat utrumque librum separatim editum esse.

Ac prima quidem causa, cur satirarum libros seorsum editos esse credamus, posita est in differentia, quae inter utriusque libri satiras intercedit. De qua Frankius p. 31—35. 71 disputavit.

Discrimen autem cum in aliis causis tum in eo conspicitur, quod posterioris libri satirae omnes fere magis perfectae sunt inventione, dispositione, arte componendi quam quae in priore libro leguntur. Priore enim libro Horatius ipse quae

sentit explicat, posterioris autem libri satiris alios loquentes inducit. Itaque in nulla satira prioris libri alia persona narrans inducitur nisi sat. 8 Priapus, quem usum ex Priapeiis Horatius recepisse videtur.

Posterioris autem libri satirae plurimae excellunt egregia forma dramatica. Poëta enim in iis cum aliis se colloquentem facit vel, ut in scena, duas personas alternos sermones facientes producit.

Ac sat. quidem 1 poëta se ipse colloquentem fingit cum Trebatio, sat. 3, cuius scena est in villa Sabina, cum Damasippo Stoico. Sat. autem 4 Catium Epicureum delicatas epulas parandi praecepta sibi tradentem inducit, ut gastronomorum praecepta illudat. Neque sat. 7, qua Davum servum Saturnalibus similiter ac sat. 3 Damasippum ipsi exprobrantem facit, caret vigore dramatico. Sat. autem 8, cuius scena est apud Nasidienum quendam, egregia arte Horatius, qui ipse cenae non interfuit, inducit Fundanium poëtam comicum narrantem de convivio libertini illius divitis. Neque sat. 2 poëta ipse loquitur, sed ad carpendam luxuriam atque improbitatem aequalium facit Ofellum quendam ‚rusticum, abnormen sapientem, crassaque Minerva' (v. 3) perstringentem aetatis suae profusionem ac luxuriam, commendantem maiorum frugalitatem ac morum simplicitatem. Sextae satirae orationis posteriorem partem poëta, postquam ipse initio locutus est, in formam dramaticam transducit; a v. enim 79 narratur summo cum vigore et orationis et generis dramatici fabula illa quae est de mure urbano et rustico. Maxime vero dramatica est sat. 5. Perstringuntur hereditatum captatores. Scena e poëtae aetate patriaque in tempora antiquissimorum Graecorum redacta est. Fingitur enim Ulixes apud inferos e Tiresia quaerens de futurae vitae condicione, qua ratione redux opes amissas recuperare possit. Tiresias autem rerum, quas futuras vaticinatur, exempla profert lepido ac ridiculo modo vitae consuetudinique Romanae simillima.

Itaque orationis atque compositionis vigorem, qui inest in satiris libri prioris, perfectiore forma dramatica posterioris libri satirarum auctum esse apparet.

Qua arte componendi factum est ut posterioris libri satirae tersiores, magis molles, minus acres sint. Mollissimo sane genere satirico usus est poëta sat. 5. Ad castigandum enim perversitates ac vitia aetatis suae scena redigitur ad alia tempora aliasque vitae condiciones. Posterioris igitur libri satiris poëta non tam singulos homines vitiosos quam hominum vitia vitaeque perversitates aetatis suae irridet. Quare legentes hunc librum fugere nequit salsam et liberrimam castigationem urbanae irrisioni lenitatique reprehensionis omnibus in satiris cessisse.

Quae cum ita sint, recte statui non posse videtur Horatium omnes satiras promiscue alias in priorem alias in posteriorem librum distributas uno eodemque tempore edidisse. Sed et e tanta utriusque libri differentia et e temporibus satirarum quae constitui potuerunt, apparet omnes primi libri satiras priori tempori attribuendas esse quam quae in altero libro leguntur. Seorsum autem ac diverso tempore a poëta utrumque librum editum esse aliis etiam probatur gravissimisque causis, quas accuratius tractabimus.

Nam recte Frankius dicit (p. 22 coll. 35) priori libro sat. 1 prologi, sat. 10 epilogi loco additam esse.

Atque primae quidem satirae argumentum eius modi est, ut nullum eligi potuerit prooemio aptius. Exponit enim poëta, quae sit causa et utilitas satiricae poësis, quo haec poësis, cui se dediderit, pertienat, quam vim habeat, quod sit consilium suum in satiris componendis. Ipso enim initio satirae interrogat Maecenatem mirans vel cum admiratione indignans, qui fiat ut homines sorte sua non contenti aliorum hominum fortunam landent, ita ut prohibeantur ne vera vitae felicitate utantur. Quod fieri perversis studiis et cupiditatibus hominum. Sed ut ad vere beatam vitam perveniant, nullo alio modo fieri posse nisi sublatis causis et studiis omnibus perversis. Quod ut intelligant homines, cum aliis rebus tum imprimis poësi satirica effici posse. Vv. enim 24 sqq. dicit poëta se ridentem dicere verum, quod homines a iocante quam a serio loquente facilius reprehendi se patiantur et ad vitia cognoscenda melius adducantur, sicut magistri interdum pueris dent

crustula, ut prima litterarum elementa libentius discant. Quomodo satis plane exponitur hac satira consilium, quod in satiris scribendis poëta secuturus est.

Itaque Horatius Maecenatem appellasse putandus est non quod unam satiram, de qua dicimus (cf. Teuffel. p. 117), sed totum satirarum libellum ei dedicari voluit, quod Frankio p. 36 placuit.

Zumptius autem p. 35 inani ratione usus dicit Horatium sat. 1 ceteris praeposuisse propterea quod hac imprimis sat. quae postea senserit de vita humana, expressa sint; quam sententiam recte refutat Teuffelius p. 239, cum dicit Horatium a. u. 728, quem ad annum Zumptius hanc satiram refert, undetricesimum demum annum egisse.

At satis multi sunt interpretes, qui sat. 1 inter primas referendam esse censeant tribus de causis, quarum prima est quod argumentum non aptum sit ad prologum, altera quod in hac satira vitia elocutionis, argumenti dispositionis non desint, praesertim cum transitus inveniantur nimis abrupti (cf. imprimis v. 108), tertia quod totius satirae exitus ut huic ita cuilibet satirae adiungi potuerit. Sed prima causa supra refutata est. Atque exitus satirae ita est comparatus ut maxime coniunctus sit cum reliqua parte satirae. Lepidissima enim illa sententia facete et iocose finis satirae imponitur aptissimus ad satiram, quae prologi loco ceteris praemissa est. Nam cum Crispinum Stoicum deridet, qui insulsis versibus hominum mores castigare solebat et ab aequalibus aretalogus nominatus est, dicit se comparari non velle cum illis Stoicis hominibus molestis, quorum oratio languescat et audientes taedio obruat, qui de virtutibus loqui non desinant; se ipsum quoque castigare velle hominum mores, sed ridentem se dicere verum (v. 24). Itaque exitu quoque satirae demonstratur causa atque utilitas satiricae poësis. Mirum igitur est, quod Teuffelius p. 117 adnot. dicit poëtam in hac satira nihil ad se suaque studia referre.

Sequitur ut alteram refutemus causam, quae movit nonnullos viros doctos, ut sat. 1 non ad ultimas prioris libri referendam esse contenderent. Dispositio enim et explanatio satirae tam egregia et tam artificiosa videtur, ut inter prae-

stantissimas satiras habenda sit neque ullum in ea contineatur indicium, unde pateat eam compositam esse a poeta artis componendi minus perito. Horatius enim, ut supra diximus, interrogat ipso initio satirae, qui fiat ut homines sorte sua non sint contenti. Ut demonstret, quam homines non contenti sint, quattuor egregia exempla e vita quotidiana petita satisque frequentia legentium oculis proponit, quibus illustretur, quanta sit querela omnium hominum de sortis suae iniquitate. Ad quas querelas adductos esse eos dicit poëta invidia, quod ne quis locupletior sit quam ipsi veriti maiora petere ad altioraque tendere non desinant (vv. 40 sqq.). Itaque invidiae originem repetendam esse ab avaritia. V. autem 40 usque ad v. 108 describitur, quam invidiosus et sorte sua non contentus sit avarus. V. 108 oratio redit ad ea quae usque ad v. 40 exposita sunt:

> ‚Illuc unde abii redeo, qui nemo, ut avarus,
> Se probet ac potius laudet diversa sequentes.‘

Hic est locus difficillimus, ita ut multi interpretes, in his imprimis Heindorfius, non recte explicato hoc loco satiram inter primas compositam esse contendant. Sed si sequimur lectionem cod. Bland. antiq. ‚qui nemo, ut avarus, Se probet‘, quam Hauptius, Meinekius aliique probaverunt, relativum ‚qui‘ in oratione indirecta positum referendum est ad initium satirae ‚qui fit . . . . ‘, ita ut ‚qui‘ brevi positum sit pro ‚qui fiat ut‘, aptissime adiunctum ad enunctiatum ‚Illuc redeo, unde abii‘. Poëta igitur postquam accuratius exposuit, quam perversa sit avaritia, v. 108 ad sententiam initio propositam redit, ad hortandum homines ut vitium illud avaritiae fugiant, ut ad vere beatam vitam perveniant et ‚exacto contenti tempore vita cedant‘ (v. 118 sq.).

Itaque in sat. 1 nihil invenitur, quod ad sententiarum conexum supervacaneum sit; sed ea et egregia argumenti dispositione et grata in coniungendis sententiis negligentia ac lepida rerum descriptione tam insignis est, ut recte iudicare videantur ii qui eam inter praestantissimas prioris libri satiras habendam esse arbitrantur.

Quapropter sat. 1 postremam omnium prioris libri scriptam, in initio totius libri prologi loco positam esse statuo.

Prior autem liber non modo prologo, sed etiam epilogo circumscriptus est. Epilogi enim loco toti libro sat. 10 addita est. Qua satira Horatius iterum de Lucilii satirica poësi accuratius disserit, ut confirmet iudicium sat. 4 de eo factum, quod cum inique tulissent, haud dubie multi ad tantam progressi sunt iram, ut poëtam offenderent. Defensionem autem v. 72 subito interrumpit, cum dicit se non moveri iudicio malorum poëtarum et hominum imperitorum ac malevolorum, qui negligendi sint, sed satis se habere, quod probentur poëmata sua (cf. v. 82 et 88 ‚haec') a bonis poëtis hominibusque prudentibus, qui artium litterarumque periti recte soli possint iudicare:

81. ‚Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque.
88. . . . . quibus haec, sunt qualiacumque,
Arridere velim, doliturus ‚si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter iubeo plorare cathedras'.

Quem locum si consideraveris iudicio non praeoccupato, fateare necesse est ‚haec' (v. 82. 88) referendum non esse ad hanc satiram, sed hoc pronomine poëtam complexum esse omnes satiras, quae compositae erant usque ad tempus, quo hos versus scripsit. Quo fit ut sat. 10 non solam editam, sed satiris ad id tempus compositis epilogi loco additam esse credamus. Quod ipsum patet etiam ex ultimo versu satirae (92):

‚I, puer, atque meo citus haec subscribe libello'.

Hortatur poëta servum librarium, cui dictat, ut ‚haec' i. e. ea quae v. 78—91 dicta snnt, subscribat libello, qui satiras ad id tempus scriptas continet (cf. Frank. p. 41), ut adversarii cognoscant, quantopere non moveatur ab eorum clamore.

Teuffelius autem p. 113 pronomen ‚haec' v. 92 ad verba ‚iubeo plorare' (v. 91) referendum esse arbitratus sat. 10 epilogum appellari non posse dicit, quod substantivum ‚libellus' ad satiram solam (cf. Heindorf. ad hunc locum), non ad totum satirarum librum (cf. Bentl. praef.) pertineat, praesertim cum singulae satirae editae sint, priusquam in totum librum redactae

in publicum prodierint. Sed quae profert Teuffelius, nihil fere pertinent ad nostram opinionem refutandam. Atque Horatius potius postquam consilium cepit singulas satiras iam editas colligere collectasque in unum corpus redactas in publicum emittere, sat. 1 et 10 composuisse putandus est, ut eas toti libro edendo hanc prologi, illam epilogi loco adderet.

Zumptius vero p. 26 probandam non esse dicit Bentleianam opinionem de separata editione, nam clausula illa ‚I, puer, atque meo citus haec subscribe libello' nihil demonstrari nisi divisisse Horatium in duos libros totam satirarum collectionem, separatam autem prioris libri editionem inde cognosci non posse, si revera libellum non unam satiram dixerit, sed totam collectionem decem satirarum. Sed cum sat. 10 epilogum esse ostenderimus, ‚libellus' non ad satiram solam, sed ad totum satirarum librum referri potest. Sed quoniam sat. 10 epilogum esse ostendimus, apparet versum non ad hanc solam sat. sed ad totum sat. librum referendum esse.

Accedit autem aliud argumentum, quo probatur utrumque librum separatim evulgatum esse. Posterioris enim libri sat. 1 huic libro praemissa est ad indicandum novum satirarum librum, ut supra cognovimus, cum satirae tempus constitueremus. Itaque assentiamur necesse est Frankio, qui p. 35 dicit, si Horatius utrumque librum simul eodemque tempore edidisset, haud dubie eum aut utrique libro aut si alteri tantum, non priori sed posteriori epilogum additurum fuisse, ut totum opus rite clauderetur.

Compluribus autem locis huius satirae comprobari videtur priorem librum iam in hominum manibus fuisse tum cum satira scripta est. Satiris enim editis adversarii laudem eius diminuere volebant: alii laesos sese arbitrati (v. 1 sq. coll. v. 23) poëtam malignum ac contumeliosum et in satira nimis acrem esse ultraque iustum satirarum modum tendere iudicaverunt; alii magis delectati facetiis Lucilii quam urbanitate Horatii enerve putabant esse satiricum genus Horatianum atque leve (v. 2—4). Itaque cum ex his adversariorum iudiciis atque criminationibus tum ex enuntiato ‚quicquid composui' (v. 2 sq.) apparere videtur priorem satirarum librum iam in vulgus emis-

sum fuisse tum cum sat. 1 composita est. Deinde patet poëtam scripsisse hanc satiram, ut legentibus exponeret, quae esset causa, cur priore libro edito iterum novum satirarum librum componere sibi proposuerit. Dicit enim haec: natura et necessitate sese agi, ut scribendi studium ad genus satiricum convertat (cf. v. 7 ‚nequeo dormire‘; v. 52 sq. ‚unde nisi intus Monstratum?‘); deinde se non audere Augusti laudes ab eoque res praeclarissime gestas canere, cum ad graves atque sublimes res laudandas facultates suae poëticae non sufficiant (vv. 12 sqq.); tum genere satirico uti quasi armis a natura datis ad defendendum se ab iniuriis ipsi illatis, quibus ita se defendat ut lupus dente, cornu taurus (vv. 47 sqq.). Itaque se nullo modo, ne durissimis quidem rebus a satiris scribendis deterreri (cf. v. 57—60). Neque se timere ne maiorum quis sibi magis succenseat quam olim Lucilio Scipio aut Laelius, qui salsas eius facetias adeo sibi non metuerint, ut cum eo nugari atque ludere solerent (vv. 62 sqq.). Ira autem et invidia adversariorum obtrectatorumque nihil effici, cum magnorum optimorumque virorum gratiam sibi conciliaverit (vv. 75 sqq.). Unde satis apparet priorem librum iam editum fuisse tum cum sat. 1 scripta est.

Praeterea in sat. 1 versus inveniuntur, qui ad certos versus lib. I videantur referendi esse. Sicut v. 22:

‚Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem‘

haud dubie repetitur eodem fere modo v. sat. I, 8, 11:

‚Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.‘

Neque minus v. 23:

‚Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit‘

et v. 84 sq.:

‚. . . . . . . si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?‘

clarissime legentibus in memoriam revocantur vv. sat. I, 4, 33:

‚Omnes hi (sc. culpari digni v. 25) metuunt versus, odere poëtas‘

eiusdemque satirae 64 sq.:

‚Nunc illud tantum quaeram meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi . . . . .‘

His expositis nihil esse cognovimus, unde duos satirarum libros uno eodemque tempore editos esse appareat, sed satis

multae inveniuntur causae, quibus cogamur ut separatam utriusque libri editionem statuamus.

Attamen nuper Martinus Hertz hanc opinionem reicere conatus est. Is. enim l. l. p. 15 sq., quamquam ipse quoque adhuc se censuisse dicit utrumque librum seorsum prodiisse, statuendum tamen esse arbitratur libros duos coniunctim eodem tempore editos esse, cum sibi persuasum sit (p. 12—16) Horatium per totam primam satiram prioris libri Georgicon libros IV ita fere discerpsisse, ut Vergilium haud paucis locis sive aperte imitaretur sive orationem paulo textius ad eum referret. Itaque postquam Georg. libri a Vergilio a. fere u. 729 ad finem perducti sint, Horatium consilio capto libros satirarum edendi sat. 1 statim scriptam satirarum libris tamquam prologum praemisisse. Quae cum ita sint, cogi sese ut assentiatur sive Zumptio sive Kirchnero, quos censuisse supra diximus utrumque librum coniunctim editum esse.

Sed de loco sat. vv. 114 sqq., quo imprimis usus Hertzius hunc conexum statuit, supra disputatum est, cum ageremus de satirae tempore.

Alios autem locos inter se comparatos dicit ille minuere dubitationem directae inter sat. et Georg. l. I relationis. Satirae enim vv. 33 sqq. (coll. v. 30 sq.):

‚Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri‘

non minus comparari posse cum Georg. I, 185 sq.:

‚. . . . . populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectae‘

quam v. 45:

‚Milia frumenti tua triverit area centum‘

cum eiusdem libri Georg. v. 192:

‚Nequidquam pingues palea teret area culmos‘.

Sed minime hi loci inter se comparati minuunt relationis dubitationem; sed censeo valde eos pertinere ad eam dubitationem confirmandam. Nam apud Horatium et Vergilium utroque loco et sententiarum conexus diversissimus est, et inter hos nulla relatio intercedit nisi formica opes senectae congerens, illis nisi area frumentum terens.

Inter alterum quoque Georg. librum et satiram Horatii primam conexum exstare iam Frankius p. 26 sq. exposuit. Assentitur autem Hertzius p. 14, sed ei non recte coniecisse ille videtur Vergilium in Georg. l. II simili ioco respondisse Horatianis, quae ad l. I pertineant; atque Horatium potius censet haud paucis locis non modo huius libri, sed etiam ut primi ita tertii et quarti res, sensus, verba Vergiliana sive aperte imitatum esse sive paulo tectius indicasse amabili quadam irrisione, ut excitaret facete risum poëtae ipsius amicorumque memoria Vergilii carmen tenentium. Recte igitur Hertzio comparare videtur Frankius cum sat. Horat. totum Georg. l. II locum vv. 503 sqq., qui est de diversis hominum studiis. Sed Vergiliano loco ad suavem ac frugalem vitam rusticam laudandam depinguntur urbani (cf. ‚alii' v. 503), qui avaritia atque voluptatum cupiditate excitantur, ut caeca maris pericula subeant, ferrum arripiant, quin etiam adulatores fiant apud reges; satira autem Horatius oculis legentium proponit studia hominum uniuscuiusque fere vitae condicionis, ut illustretur exemplis, quantopere homines avaritia ducti sorte sua non contenti vivant, sed labores et pericula audaces suscipiant. Itaque nulla intercedit similitudo nisi quod de diversis studiis agitur; sed ii qui studia exercentes exempli causa utroque loco inducuntur, tam dissimiles sunt et tam diverso afferuntur consilio et sententiarum conexu, ut nulla sit causa, cur sat. Horat. ad hunc Verg. locum accommodatam dicamus.

Neque minus mirum est, quod Hertzius Frankium secutus cohaerere dicit v. Horat. 41 sq.:

‚Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?'

cum Verg. v. 508:

‚Condit opes alius, defossoque incubat auro'

et v. Horat. 28:

‚Ille gravem duro terram qui vertit aratro'

cum Verg. v. 513:

‚Agricola incurvo terram dimovit aratro'.

Hi enim versus nulla re consentiunt nisi quod prioribus versibus dicitur de avaro, qui pecuniam defodit, posterioribus de agricola arante.

Quin etiam dicit Hertzius Frankium recte composuisse Georg. II, 458 sqq. cum sat. Horat, statuentem p. 26 Vergilium vitae rusticae felicitatem descripturum bene memorem fuisse querelarum Horatiani istius agricolae (v. 11 sq.):

,. . datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe';

aç sane non modo initium descriptionis illius v. 458 sq.:

,O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! . . . . . .'

cum Horat. v. 4:

'„O fortunati mercatores!" . . . . . .'

comparandum esse, sed etiam verba ,sua si bona norint' respondere satirae Horat. argumento. Sed Hertzius in comparando illo Horatii ,O fortunati mercatores!' cum Vergiliano loco mente praeoccupata ductus ad tantum procedit studium sententiae suae demonstrandae ,ut cum Frankio in levissima etiam verborum similitudine imitationes se deprehendere putet. Neque potest intelligi, quomodo verba Vergiliana ,sua si bona norint' ad satirae argumentum pertineant.

Atque in Georg. l. III exhiberi videntur Hertzio loci, qui cum sat. cohaereant. Relationem enim statuendam existimat non tam inter Horat. v. 36:

„. . simul inversum contristat Aquarius annum'

et Verg v. 279:

,. . . pluvio contristat frigore coelum (sc. auster)'

quam inter vv. Horat. 31 sqq.:

„. . . . . hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria . . .'

et Verg. vv. 376 sqq.:

,Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos ignique dedere.'

Sed nulla intercedit relatio; nam apud Horatium agitur de avaris, qui labores ac pericula sese subire aiunt, ut congestis cibariis securam sibi parent senectutem, a Vergilio describitur otiosa vita gentium Hyperborearum. Itaque Hertzius ad componendos hos locos nulla alia re adductus esse videtur nisi

quod utroque loco de otio hominum agitur et participium ‚congesta' positum est.

Quid? quod Hertzius etiam Georg. l. IV satis multos versus ad hanc sat. referendos existimat, quod haud pauca quae Vergilius proferat de apibus, partim de hominibus partim de formicis eadem fere tradantur ratione ab Horatio. Confert enim Verg. 156 sq.:

‚Venturaeque hiemis memores aestate laborem
Experiuntur et in medium quaesita reponunt'

et v. 239:

‚Sin duram metues hiemem parcesque futuro'

cum vv. Horat. 33 sqq.:

‚Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest atque addit acervo
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri'.

Priore Vergiliano loco agitur de apibus, quae aestate cibaria colligunt, quibus hieme vitam sustentent, posteriore de apiario hiemem metuente, cui praecepta dantur; apud Horatium autem homines lucrum semper sequentes utuntur exemplo formicarum, quae haud incautae hiemis venturae cibi copiam aestate congerunt. Sed quamvis similes esse videantur Horatii et Vergilii versus, tamen nullum indicium est, unde appareat Horatium imitatum esse Vergilium. Nam hoc studium opes congerendi et apium et formicarum tam proprium est, ut mirum non sit, quod uterque poëta eodem fere modo hic de apibus ille de formicis agit. Posterior vero Vergil. locus tam diversus est ab Horatiano, ut intelligi nequeat, qui conexus inter eos exstet.

Ad innatum autem amorem habendi, quo apes urgeri dicat Verg. v. 177:

‚Cecropias innatus apes amor urget habendi'

referendam esse existimat Hertzius satiram passim, imprimis vero vv. 61 sqq., quo loco describuntur homines lucri cupiditate decepti, qui suam agendi rationem excusant, cum dicunt cum opibus crescere etiam auctoritatem. Sed Horatium in describendis his hominibus huius versus Vergiliani memorem fuisse credi vix potest.

Sed pluribus in hanc rem inquirere opus non est; nam satis demonstratum nobis videtur nullam inter Horat. sat. I, 1 et Verg. Georg. libb. IV intercedere relationem.

Restat ut quaeramus, quando uterque satirarum liber in publicum emissus sit. Causas autem quibus usus Frankius p. 22—27 lib. I a. u. 719 attribuit, supra refutasse nobis videmur. Sed quamquam prioris libri compositionem atque editionem ultra a. u. 720 proferendas non esse ei assentimur, tamen silentium, quod de Augusto eiusque rebus gestis in lib. I Horatius tenuit, non aptum videtur ad hoc demonstrandum. Statuit enim Frankius p. 28 Horatium per annos u. 718—20 ei coepisse favere, ita ut appareat quaerentibus nobis de editione libri prioris ultra id tempus progrediendum non esse. Sed etiam in priore sat. libro Augustus non laudatur, tamen nullo loco odium poëtae in eum aut animus ab eo aversus cognoscitur neque illuditur familiaribus imperatoris. Non recte affert Frankius p. 28 adnot. cavillationem Tigellii cantoris sat. 2 vel Petillii sat. 4,94 (cf. 10,26); nam accurate exposuit Kirchnerus quaest. p. 42—49 (‚de utroque Tigellio‘) hunc Tigellium Sardum, Caesaris utriusque amicum, sat. 2 (cf. init. sat. 3) commemoratum cum minore Tigellio Hermogene, Horatii aequali (cuius mentio fit in sat. 4 et 10), a scholiastis confusum esse, ita ut quod schol. tradit sat. 2, Tigellium carpi ab Horatio, quod carmina eius satis perite modulata negaverit, in hunc Tigellium Hermogenem cadat. Neque ex eo quod causam illam Petillii affert, poëtam ab Augusto alieno animo fuisse intelligi potest (cf. quae supra ad sat. 4 de eadem re exposuimus). Praeterea mirum non est, quod Horatius sat. II, 1. 5. 6 Octavianum laudat. Itaque non probo Frankii sententiam Horatium intra certum illud spatium trium annorum 718—20 rebus eius favere coepisse; sed censeo paullatim maxime familiaritate Maecenatis hoc factum esse (cf. Teuffel. p. 223). Quare haec causa a Frankio allata non sufficit ad editionis tempus constituendum. Quae cum ita sint, nihil aliud constare videtur nisi lib. I editum esse brevi ante sat. II, 1, quam primam omnium satirarum posterioris libri ante finem anni u. 721 scriptam cognovimus, ita ut libri prioris satirae intra annos u. 716—20 scriptae videantur.

Secundus autem liber quo tempore editus sit, non constat. Frankius enim p. 42 sat. II, 1 omnium postremam a. u. 724 scriptam arbitratus editionem huius libri eodem anno u. 724 factam esse putat: non recte, nam sat. II, 1 non postremam sed primam posterioris libri satirarum compositam esse supra demonstravimus. Neque probanda est Teuffelii ratio, qui p. 221 sine ulla iusta causa lib. II anno demum u. 730 editum esse suspicatur. Sed nihil amplius potest adfirmari nisi lib. II post finem anni u. 723 in publicum prodiise, quippe quo tempore sat. 5 et 6 omnium posterioris libri satirarum, quarum tempus constitui potest, postremas compositas esse cognoverimus.

Vita.

Carolus Gustavus Ferdinandus Brandes natus sum die XIX m. Oct. anni h. s. LXI Schmiedebergae Saxonum patre Carolo, matre Clementina e gente Koberiana, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in ipsa patria instructus a. h. s. LXXI in gymnasium Torgoviense receptus sum, quod frequentavi usque ad annum h. s. LXXIX, quo anno discipulis primae classis adscriptus sum. Postquam pater Islebiam transmigravit, primam classem gymnasii Islebiensis adii, unde maturitatis testimonium a. h. s. LXXXI adeptus Berolinum me contuli, ubi per quater sex menses studiis philologicis dedi operam. Scholas frequentavi doctissimorum virorum Huebneri, Kieperti, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Oldenbergii, Paulseni, Roedigeri, Schereri, Treitschkii, Vahleni, Zelleri atque exercitationibus theodiscis a Scherero moderatis interfui. Tum universitatem Halensem adii, ubi per bis sex menses doctrina fructus sum Dittenbergeri, Haymii, Heydemanni, Hilleri, Keilii, Zacheri, praeterea Dittenbergerus, Hillerus, Keilius ad exercitationes seminarii regii aditum mihi benigne permiserunt. His viris omnibus debitas ago gratias.